

gida, vita solutus est, cum imperasset solus annum i. menses vii. Cæsar verò annos vii. Homo statura exigua & gracili, maiestate conspicuus, laudis immodicè cupidus, cultu Numinum superstitiosus, Christianos impio quodam odio infectatus, quanquam à sanguine eorum abstineret, militiam tamen & studia eis interdixit, ne doctores artium liberalium essent, vnde materia deesset, & paulatim ingenium fidei defendendæ. Plerosque præmiis & illecebris, quasi machinis à vera pietate auertit. Quinetiam librum aduersus Christianos edidit, quem tamen argutissimè Cyrillus Episcopus Alexandrinus refutauit.

In Numismatis huius parte altera Taurus, & supra eum duæ stellæ, ad pedes verò anteriores Aquila cum inscriptione: **SECVRITAS REIPVB.** Infra verò subscriptum: **T. CONST.**



CONSTANTIUS filius Constantii Imperatoris ex Theodora, frater Constantini Maximi, & Iuliani apostatæ pater.



BASILINA nobilissima fœmina, Constantini Magni fratris vxor, & mater Iuliani Imperatoris.

HEL